

taverit, et aliquid de bonis monasterii usurpaverit, illi ecclesie quadruplum reddat, usurpator vero cum suis omnibus regali sententiae subiaceat. Et hoc confirmamus nostra sigillatione, istorumque Comitum: Procopius Acriensis Episcopus laudo. Singidunus Zagoriensis Episcopus laudo. Isaac Comes laudo. Petrus Comes laudo. Cladia Comes laudo. Saul Comes laudo. Arnei Comes laudo. Thomas Comes laudo. Andreas Comes laudo. Cosmas Comes laudo. Vocan Comes laudo. Dionysius Comes laudo.

Ex Archivio Monialium Jadrensiu S. Mariae. — Habent quoque Lucius de Regno Dalm. et Croat. Lib. III. cap. III. et Farlati Illyricum Sacrum T. IV. p. 5.

XVIII.

Anno 1102.

Pacta conventa seu conditiones, quibus duodecim tribuum Croaticarum legati Colomanum Croatiae Regem agnoscunt.

Colomanus filius (nepos) Vladislai Regis ungarie stans in Regnis loco patris (patrui) sui et quia multa strenuitate vigeat, proposuit totam Chroatiam usque ad mare Dalmaticum sub suo dominio subiungere, venit cum suo exercitu usque ad flumen Draue. Chrouates vero audientes de adventu Regis, congregaverunt exercitum suum et preparaverunt se ad pugnandum. Rex vero audita congregatione ipsorum misit suos nuncios, volens ipsos gratiose tractare et pacta cum eisdem uti voluerunt ordinare. Chrouates vero audita legatione domini Regis, inito consilio, omnes insimul acceptaverunt et miserunt XII Nobiles sapientiores de XII tribubus Chrouatie, videlicet: Comitem Guran (Juran) de genere Chacithorum (Kačić), Comitem Hungrinum de genere Chuchacorum (Kukar), Comitem Marmognum de genere Subithorum (Šubić), Comitem Pribislavum de genere Čudomirorum (Čudomirić), Comitem Georgium de genere Suacithorum (Svačić), Comitem Petrum de genere Muritorum (Murić), Comitem Paulum de genere Gusichorum (Gušić), Comitem Martinum de genere Carinensium et de genere Lapčanorum (de Karina et de Lapac), Comitem Pribislavum de genere Politchorum (de Poljica?), Comitem Hobradum de genere Lasničitorum (Lasničić), Comitem Joannem de genere Jamometorum (Jamometović), Comitem Mirognum de genere Tugomirorum (Tugomirić).

Qui venientes ad D. Regem, ei debitam reuerentiam exhibuerunt, dominus uero Rex ad osculum pacis eos recipiens et honorifice eos tractans, ad talem concordiam deuenerunt: quod omnes predicti teneant suum pacifice, et quiete, et quod non teneantur aliqua praedictarum generationum, nec eorum homines Regie maiestati solvere censum, nisi tantum teneantur d. regi, quando aliqui